



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Hemmingvs Ep. 21. Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

omnes cum ipso patre cælo insertos. Et felicitatem hanc tam sancta familia ducibus Apostolorum DD. Petro & Paulo debet, qui post hospitium resseram PVDENTEM sacris undis admo-verunt, & uti animum, ita animi focium corpus candidâ veste induerunt. Et servavit ille utramque ab omni labe eximiam, ædesque suas commune miseris hospitium fecit. Demortui virtutes hereditario jure sibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente, & arridente patre, idem jam fecerant. Ædes in templum versæ; patrimonium in pauperes dilapidatum; tota familia (capita numerabat XCVI.) omnis sacro fonte lustrata; latebræ afflictis Christianis datæ; firmati nutantes; roborati morientes; mortui terrâ tumulati. Sacra à Novato & TIMOTHEO fratre omnibus ministrata. Denique non jam in templum tantum, sed cælum migrasse domum tam sanctam dixisses. Certè cælo digna ab ipso cælo judicata est nobilissima hæc familia; in quam utinam more veteri transire ignobiles nos terræ filii aliquando possimus! Ex Ferrar.

*Voca Deum Patrem, & da operam, quatenus tibi sit celestis vita, divini mores, & forma Deitatis tota tua preferatur in forma; quia celestis Pater respondentes generi suo filios muneribus dicit divinis; degenerantes ad pœnalem revocat servitutem.* S. Chrysol. serm. 71.

S. HEMMINGVS EP. 21. Junij.

IN HEMMINGO Aboënsi Pont. à primis annis jam ex morum gemme emicuerunt, quæ infule olim majestatem decerent; ita jam tum in puero nihil puerile præter ætatem erat. A ludis omnibus alienus, totus studiis senis jam tunc occupabatur, & in his ipsis unius Dei gloriam quærebat.

sem-

semper in cælum collimans unicum scopum suum  
 sed Christiano homini, ut non aberret, satis ma-  
 gnum. Et talis ille etiam duravit, postquam Colle-  
 gio Canonicorum adscriptus fuit, nisi quòd tunc,  
 ut alii numerorum, ille virtutum potius censum  
 augetet. Dignum ergo tunc, Superi judicant,  
 cui D. Brigittæ ortum non sine miraculo nuntia-  
 rent. Visa enim est precanti HEMMINGO puella è  
 nube lucidâ librum apertû orbi porrigere, & vox  
 ad aures ejuscemodi allapsa: *Nata est Birgero filia  
 cujus admirabili voce universus mundus personabit*  
 Sed & ipse HEMMINGVS pro concione laxa mol-  
 lire, & ad DEVM feros animos voce suâ trahere, &  
 jam Regibus etiam ac Pontificibus reprehensio-  
 ne aures vellicare; omnes interea orationes inci-  
 pere à VIRGINIS laudibus, & suis scilicet finire.  
 Temporis avarus ad verba atiosa mutus adfuit, ad  
 epulas verò Tantalus. Pro oculorum portis excu-  
 babat, ne has ulla femina visa subiret, erantque  
 tam sanctis vigiliis tessera illa verba è sacris no-  
 stris: *Avert oculos meos, ne videât vanitatem.* Inter  
 preces sæpè alio, moriens denique inter easdem  
 in cælum est abreptus. *Ex Vite Aquil. Passovij.*

*Deus te, qui caelestem tibi Patrem vocas, nâ ca-  
 lestem vult tendere naturam, ut generi tanto vita  
 respondeat, ut terreni mores degenerent, quos caele-  
 stis donavit & contulit natura. S. Pet. Chrysol.  
 serm. 69.*

## B. ALOYSIVS GONZAGA

Soc. I. C. 21 Junii.

**M**ORITURUS ALOYSIVS nascendo erat, si non  
 patienti matri mater MARIA affuisset. Inter  
 prima ejus verba IESVS & MARIA feruntur, boni  
 omnis. Puerulus etiam in singulis scalarum  
 gra-